ſplendorem Antiochenum, domini ſui interfectorem
dentibus apprehenſum prodidiſſe, quid Niciæ
venatoris miſerabilem caſum et tragœdiam vobis
ſpectantibus ludam? hic in montibus vagabundus
errabat retia laxatq; prædasq; domũ portabatq;,
ſed prô mutata est inconstans fortunæ rota,
cecidit in foueam quam fecit, cecidit, o miſerum
lapſum, cecidit inquam in profundam cuiuſdam
foueæ voraginem, videt patulum introitum, videt
exitum denegatum, videt quoq; ſe viuum in [illegible]
ſepulchro et tumulo eſſe ſepultum. ſed quid faciat
miſer? præter venatorum delicias, canes puto, nemo
aderat, clamet? clamat manum dexteram eiulans
magna vociferatione poſcit à canibus huic tragœdiæ
præſentibus, ſuis comitibus, ſuis ſpectatoribus. quid
vos auditores ſi præſentes fuiſſetis, quid quæſo
faceretis? quid in hoc triſti lapſu faciendum
existimaretis? quam multi ne et canes vnà cum
eo perderentur eos abarcerent? pauci fortaſſe
immerſum eius dolorem conſolando lenirent,